

subsistentiam, qua talis natura subsistit, et existentiam, qua existit, dicitur enim naturam subsistere in supposito subsistente, sicut partes in ipso toto, non quia natura, vel partes reddantur supposita, seu personæ in seipsis, sed quia redduntur terminatæ, et affectæ ipsa subsistentia, et personalitate in qua sunt, sicut partes lineæ terminantur puncto, non quia in se fiant punctum, sive per se, sive per accidens, sed quia unico puncto afficiuntur, et terminantur, sicut corpus afficitur albedine, non fit albedo, sic partes reducuntur illo puncto terminatæ, et partes naturæ, et natura ipsa per subsistentiam, et suppositum non redditur in se aliud suppositum, seu persona, sed unica eademque subsistentia redditur supposita, et terminata, seu subsistens. Unde non valet illud sophisma: Natura subsistit per aliud, id est, per personam, suppositum vero subsistit per se, ergo natura, et suppositum sunt aliud, et aliud subsistens. Respondetur enim ad antecedens, quod natura subsistit per aliud, quod est ratio subsistendi, et sibi communicatur, ut subsistat, concedo; per aliud quod in se sit res subsistens, ut quod, nego. Ad consequens ergo est aliud, et aliud subsistens ut *quo*, nego consequens ergo est aliud, et aliud subsistens ut *quod*, nego consequens, unum ut *quo* et alterum ut *quod*, transeat; sed hoc est esse distinctum in ratione entitatis, non diversi subsistentis, sicut album et albedo non faciunt duo alba ut *quod*, sed unum ut *quo*, et aliud ut *quod*, albedo enim dicitur alba ut *quo*, id est, ratio et forma albi licet sint duæ entitates corpus et albedo. Formalis terminus est id, quo constituitur aliquid tanquam actualitate, et specificatione. Illud autem quo constituitur in sua specie substantia ge-

nerata, vel est forma partialis, vel forma totalis. Forma totalis est integra natura, seu constans ex forma, et materia unitis ut condistinguitur contra suppositum, vel personam, et significatur per modum formæ, quia significatur ut principium, quo aliquid est tale, sicut humanitas est id quo homo est homo. Forma partialis est illud principium, quod distinguitur contra materiam, et illi unitum componit naturam, resultatque suppositum, seu terminus naturæ, nisi per assumptionem Divinam impediatur. Inquirimus ergo in presenti, in primis de termino totali, an sit ipsum compositum ut natura, an etiam suppositum quod est terminus ejus. Secundo, de termino formali, an sit ipsa forma, vel unio ejus in materia.

In hac re variæ sunt sententiæ Auctorum, de quibus videri possunt Conimbricenses I de Generatione. capite quarto, questione decima quinta, et cursus Carmelitani disputatione secunda, quæstione tertia. Circa terminum enim totalem aliqui dixerunt actionem aliquam terminari ad compositum, distinctam ab ea quæ terminatur ad formam, quia sunt res distinctæ. Alii vero dicunt, generationem intrinsece terminari ad formam, extrinsece vero, et secundario ad totum compositum, et quasi per resultantiam, non ut terminem essentialem. Denique, alii ponunt pro termino adequato ipsum compositum, quod est natura, excludunt autem ipsum suppositum, vel subsistentiam.

Circa terminum vero formalem etiam divisi sunt Auctores, nam quidam dicunt, solam formam esse terminum formalem, etiamsi ipsa non producat, sed sola unio. Alii vero dicunt, solam unionem esse per se terminum formalem generationis, non vero formam, eo quod in

omni generatione producitur de novo unio, non vero semper producit formam, ut quando generatur homo, oportet autem assignare pro termino formali, et specificativo actionis aliquid de novo factum, eo quod actio si nihil facit de novo, non est actio. Alii denique dicunt, formalem esse terminum formalem, quando per generationem educitur, vel producit, quando vero non producit sed unitur, unionem esse terminum formalem; de quo Conimbricenses ubi supra. Denique, quidam dicunt, generationem convenire cum creatione, in eo quod est producere totum, differre autem in eo præcise, quod sit educiva unionis.

DICO PRIMO: Totalis et adequatus terminus generationis substantialis est ipsum compositum, seu totum non solum prout dicit naturam, sed etiam prout dicit suppositum, ita tamen quod subsistentia non se habeat in hoc toto, ut constituens, sed ut terminans naturam constitutam, vere tamen intrinsece attingitur a generatione, et non extrinsece. Hæc conclusio est expressa S. Thomæ, qui perpetuo docet ipsum fieri sicut et ipsum esse solum convenire rei subsistenti, seu hypostasi ut patet III p. q. XXXV, a. 1, ubi inquit: «Nativitas potest attribui alicui dupliciter, uno modo sicut subjecto, alio modo sicut termino: sicut subjecto attribuitur ei quod nascitur, hoc autem proprie est hypostasis non natura, cum nasci sit quoddam generari, sicut generatur aliquid ad hoc quod sit, ita nascitur aliquid ad hoc ut sit, esse autem proprie est rei subsistentis, nam forma quæ non subsistit, dicitur esse solum quia ea aliquid est, persona autem, et hypostasis significatur per modum subsistentis.» Idem docet de creatione, et de quocunque alio fieri, quod sit ad rem subsistentem I p. q. XLV, a. IV. Idem videri potest Phi-

losophus VII Metaph. text. xxvii, ubi inquit: «Quod neque species fit, nec quodcumque; nominari oportet formam, quæ in sensibili est, nec est ejus generatio, nec quod quid erat esse,» ubi S. Thomas lect. VII, inquit: «Quia generatio est ejus quod fit, palam est quod generatio non est formæ, sed compositi, nec iterum quod quid erat esse rei generatæ generatur nisi per accidens, sed forma, et quod quid erat esse est, quod fit in alio, id est, in materia non per se.» Ita D. Thomas. Ex quibus verbis colligitur, quod si id quod generatur tanquam terminus totalis, et tanquam *quod* non forma sola, neque quidditas, seu quod quid, hoc enim est ipsa forma totalis, seu natura, quia sola forma partialis non est quidditas et natura, sed principium ejus, restat ut terminus totalis sit ipsum suppositum. Unde etiam patet, non legisse, aut non advertisse verba Aristotelis eos, qui dicunt, cum non agnovisse suppositum, seu personam in substantiis, sic enim dicit: «Quod id quod sit et generatur non est forma neque quidditas sed compositum,» et nomine formæ intelligitur forma partialis, nomine autem quidditatis, seu naturæ intelligitur forma totalis, restat ut nomine compositi intelligatur ipsum suppositum, hoc enim solum est quod condistinguitur a natura, seu forma totali. Et hunc locum Philosophi sæpe observat D. Thomas ad probandum formas non fieri, sed ipsum compositum, seu subsistens, ut in I p. q. LXV, a. IV, et aliis locis.

Fundamentum autem conclusionis sumitur ex ipsa doctrina D. Thomæ, quia generatio per se primo tendit ad constituendam rem in esse integre et perfecte, sed natura rei non habet totum esse nisi habeat illud subsistens, et per se, quia hoc est proprium substantiæ, ut habeat

esse terminatum et subsistens; imo repugnat, quod habeat esse, nisi vel in se subsistens, vel alteri subsistens unitum, sicut humana natura est in Christo, ergo generatio quamdiu non dat tale esse sic subsistens in se, vel in alio manca est, et non integra, nec censetur dare totum suum effectum, ergo tunc est adequatus terminus in quo sistit generatio, ubi ipsum esse generatum terminatur et sistit: sistit autem in subsistente, ergo subsistens in tali natura est terminus totalis, et ut *quod* generationis. Et confirmitur, quia ad generans pertinet non solum dare formam, sed consequentia ad formam, sicut sunt propriae passionibus, sed intimior est subsistentia, quam passionibus, quia istae sunt accidentia pertinentque ad ornatum vel operationem substantiae, substantia vero est terminus intrinsecus, et substantialis ejus; unde unio ad subsistentiam Christi fuit substantialis in natura humana, ergo magis pertinet ad generans illam dare, quam proprias passionibus. Omitto, quod apud D. Thomam existentia est propria hypostasis seu suppositi ut *quod*, naturae autem ut *quo*, ut docet III p. q. xvii, a. 1, et nos ostendimus q. vii Physicorum, ergo si generatio tendit ad dandum esse, terminus ejus totalis, et ut *quod* erit id, cui convenit esse ut *quod*, scilicet ipsum suppositum subsistens.

Et ex hoc deducitur ultima pars conclusionis, scilicet ipsam subsistentiam seu suppositum pertinere ad intrinsecum terminum generationis, et non solum extrinsecum, et resultantem, ut videntur sentire Conimbricenses quaestione supra, citata, art. iv, conclus. ii et alii, quia ille dicitur terminus intrinsecus, qui directe, et per se attingitur ab actione non secundario et mediate, ac praesupponendo alium pri-

marium; sed subsistens non potest esse terminus mediatum ac secundarius, supponens alium primarium productum, quia completum, et integrum esse primo et per se invenitur in ipso subsistente, non ante subsistentiam, ergo res ut subsistens, et ipsa etiam subsistentia ingreditur terminum intrinsecum generationis tanquam pertinens ad integrandum, et complendam rem generatam, non ut praedicatum constitutum, sed ut terminus intrinsecus rei generatae respectu esse illius.

Dico SECUNDO: Terminus formalis generationis non est unio, sed forma constitutiva rei generatae. Unio autem prout dicit applicationem et conjunctionem extremorum non est terminus, sed applicatio, id vero quod resultat ex tali unione, si sumatur per modum suppositi, est terminus formalis tanquam forma totalis. Haec conclusio quae inter Thomistas communis est, constat ex ipso D. Thoma III part. q. xxxv, supra citata, ubi postquam dixit, quod nativitas, et generatio attribuitur tanquam subjecto ipsi personae, et non naturae, addit: « Quod tanquam termino attribuitur nativitas naturae, terminus enim generationis, cujuslibet nativitatis est forma, natura autem per modum formae significatur. » Ubi loquitur D. Thomas de termino formali, non de totali, quod est subjectum, de quo jam dixerat, quod est persona. Et similiter videri poterit, in III, distin. vii, q. 1, art. ii, et optime in I, dist. v, q. iii, art. 1, ubi inquit: « Terminus generationis in creaturis potest accipi dupliciter, sicut etiam et principium, dicitur enim principium generationis ipsum generans, et huic principio respondet sicut terminus ipsum genitum. Dicitur etiam principium generationis a quo incipit generatio, et hoc modo principium vel initium generationis est

privatio formae inducendae, et huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta. » Ita D. Thomas.

Et fundamentum colligitur, quia termino aequato et totali alicujus actionis illud est terminus formalis quod ipso termino se habet ut forma quae per se specificat actionem, et assimilatur genitum ipsi generanti, haec enim sunt munera termini formalis, scilicet formalizare ipsum terminum totalem, quod utique fit specificando, seu constituendo, et assimilando ipsum genitum rei generanti. Constat autem, quod forma termini generati non est ipsa unio, sed aliquid unitum, unio enim se habet, ut communicatio et applicatio, qua communicantur extrema, ergo forma constituens debet esse extremum communicatum, et unitum, hoc enim est ultimum, quod intendit generans, intendit enim assimilare sibi genitum in forma, et posita assimilatione cessat; non cessat autem in unione, quia unio est applicatio ut forma reddatur unita, ergo magis se habet, ut terminus formalis forma unita quam unio conjungens. Et confirmatur, quia si ista unio, qua unitur ista forma, adhiberetur alteri eodem modo illam uniret materiae, ergo proprium distinctivum et constitutum formale hujus generationis non est uni propter unionem, sed propter formam unitam. Unde etiam quando forma non producit per generationem, sed introducit, et unitur, et si sola unio producit, adhuc non producit, ut constituens formaliter, sed ut communicans, et applicans formaliter id, quod constituit ut forma.

Ex quo colligitur, quod cum assignatur formalis terminus, et ratione alicujus formalitatis designetur, si sumatur ly *formalis* pro communicante, et uniente, sic unio est ter-

minus formalis, si sumatur pro formalitate terminante et constituente, et assimilante genitum generanti, sic terminus formalis non est unio, sed forma unita; constat autem quod praecipue judicandum est de termino formali, secundum quod terminatur potius, quam secundum quod mediat. Verum quidem est, quod non potest forma constituere formaliter, nisi connotando, et supponendo unionem tanquam conditionem, et applicationem, ipsa autem forma unita se habet, ut constituens. Et sic etiam, ut supra diximus, art. III ex Cajetano I p. q. cxxviii, art. 1, in generatione humana, licet forma non producat, sed uniatur, tamen non sola unio, sed etiam ipsa forma unita attingitur a generatione non secundum esse formae in se, sed secundum inesse, ita tamen, quod unio se habeat ut conditio, et forma unita ut constituens formaliter, et terminans.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur contra primam conclusionem: Quia salvatur vera generatio sine hoc, quod producat, vel attingatur suppositum, et similiter sine hoc, quod producat natura, ergo neque suppositum est totalis terminus generationis, neque natura formalis. Antecedens patet, tum in generatione, quia B. Virgo genuit Christum, quae fuit vera generatio, cum fuerit vera mater ejus, et tamen non attingit suppositum, neque producendo, quia in Christo non fuit suppositum creatum, neque uniendo illud naturae, quia haec unio non est facta per actionem Virginis, sed per immediatam assumptionem Dei; tum etiam quia suppositum resultat posita natura tanquam modus, seu terminus illi adjunctus. Unde si nunc humanitas

dimitteretur a Verbo, resultaret de novo substantia creata, ergo supponit terminum generationis omnino productum per actionem, siquidem quod restat solum fit per resultantiam: ergo suppositum non pertinet ad intrinsecum terminum generationis, ut actio est, sed posito termino actionis resultat; tum denique, quia D. Thomas nullo modo attribuit ipsi supposito rationem termini, sed subjecti generationis, rationem vero termini ipsi naturæ, ut patet III p. q. III, art. I, eo quod natura, quæ constat ex unione materie, et formæ est integra, et totalis substantia, ergo de se terminat totalem actionem, et sic ut sit terminus totalis producibilis a generatione, non indiget aliquo alio, sed tamen quia illa natura est terminata supposito, et in illo tanquam in subjecto, ideo dicitur suppositum subjectum generationis non terminus, quia non terminat actionem, sed subicitur seu supponitur naturæ terminanti.

Quoad secundam vero partem probatur antecedens in generatione Divina, in qua totalis terminus est Persona procedens, natura vero non habet rationem termini etiam formalis, alias distingueretur a principio a quo procedit, et sic non esset una tantum natura in tribus Personis.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem respondetur aliquos existimare actionem B. Virginis in ipsa productione humanitatis, et existentia ejus, ita sistere, quod non dicitur Mater Dei, id est, persona subsistentia in ipsa humanitate, nisi materialiter, et secundo, et per accidens, sicut si modo Deus assumeret meam humanitatem destructa ejus subsistentia, mater quæ me genuit materialiter et per accidens diceretur mater Dei, quia esset mater hominis, cujus na-

tura assumpta est a Deo, sic producendo humanitatem in se existentem, et terminantem generationem Virginis dicitur Mater Dei, quia est mater humanitatis, quæ alia actione non pertinente ad Virginem assumpta est a Deo. Si enim actio generantis non tangit suppositum, sed sistit in esse naturæ quodeunque suppositum illi applicetur materialiter se habebit: et ita B. Virgo formaliter, et per se non dicitur Mater Dei.

Nihilominus in sententia S. Thomæ B. Virgo propriissime, et formaliter est vera Mater Dei, non minus, quam mater Petri est formaliter mater illius hominis. Et enim in generatione hominum, generans non producit formam, neque ejus existentiam, vel subsistentiam, sed forma rationalis in se subsistens creatur a Deo, et infunditur, generans autem unit materiam illi formæ, et sic illud esse animæ, quod fit a Deo communicatur a generante ipsi corpori, et non est aliud esse in ipso corpore, et in toto composito, quam ipsum esse, animæ sic communicatum, quia in ipso composito secundum D. Thomam non datur nisi unum esse quod quidem provenit a forma ut a principio *quo*, convenit vero composito, seu supposito ut *quod*. Unde cum anima rationalis habeat esse per se existens, seu subsistens, licet communicabile materiæ, ideo generatio hominis formalissime dicitur attingere personam, quatenus hoc ipsum esse animæ, quod communicatur toti composito, seu personæ, a generante communicatur corpori, et facit integrum hominem. Et ita dicit D. Thomas I-II, q. IV, art. v ad 2: « Quod animæ humanæ remanet esse compositi post corporis destructionem, et hoc ideo, quia idem est esse formæ, et materiæ, et hoc idem est esse compositi. » Similiter ergo

in Christo est unicum tantum esse, quod est personæ seu suppositi et communicatur naturæ, ut docet idem D. Thomas III p. q. XVII, art. II. Sed tamen hoc esse Verbi, seu subsistentia, ordine quodam communicata, fuit prius animæ prioritate naturæ, deinde corpori, quia prius natura assumpsit animam quam corpus, et mediante anima corpus, ut docet D. Thomas III p. q. VI, art. I, ita quod in ipsa creatione animæ simul se immiscuit assumptio Verbi impediens propriam subsistentiam, et existentiam animæ, et suam subrogans per assumptionem. Cum ergo in illo puncto actio B. Virginis generativa attingit unionem corporis formali ad animam, quam Deus infundebat, assumebat illudmet esse, et subsistentiam, quam inveniebat in anima communicabat corpori. Et ita sicut actio generativa ordinaria illud esse proprium, et naturale animæ communicat corpori, et hac ratione dicitur formalissime mater hominis, et personæ subsistentis in humanitate, ita generatio Virginis, esse et subsistentiam Verbi, quam invenit in anima assumpta, communicavit corpori, et ita formalissime dicitur mater illius hominis, seu Personæ Divinæ, ut subsistentis in illa humanitate constante corpore et anima. Nec tamen B. Virgo assumptionem ipsam efficienter attingit etiam instrumentaliter, quia hæc cum ipsa creatione animæ immediate a Deo facta est, sed B. Virgo, animam prioritate naturæ assumptam a Deo, ipsa generatione communicavit corpori, sicut postea in resurrectione uniendo animam corpori sine nova assumptione iterum resultavit Deus homo, assumptio enim animæ virtualiter est assumptio corporis eo quod anima est de se communicabilis corpori.

Quod si dicas: Si tota subsistentia

Verbi, et ejus esse fuit collatum animæ, et mediante anima ad carnem, ergo separata anima in morte, caro mansit sine subsistentia Verbi, sicut caro hominis mortui manet sine subsistentia animæ quæ separatur. Hoc autem est erroneum, alias Filius Dei non esset sepultus, quando ejus corpus sepultum fuit, respondetur ex D. Thoma III p. q. I, art. II ad 2, ubi hoc argumentum solvit: « Quod Verbum Dei dicitur unitum carni mediante anima, quatenus caro per animam pertinet ad humanam naturam, quam Filius Dei assumere intendebat, non autem ita quod sit medium quasi ligans unita. Habet autem caro ab anima, quod pertinet ad humanam naturam etiam postquam anima separatur ab ea, in quantum, scilicet in carne mortua remanet ex ordinatione Divina quidam ordo resurrectionis, et ideo non tollitur unio Divinitatis ad carnem. » Ita S. Thomas ex cuius verbis constat carnem in Christo mansisse unitam Verbo, non quia habeant distinctam subsistentiam, quæ sibi suppleatur seorsum a forma, nec quia subsistentia animæ communicaretur corpori post mortem, sed quia caro mortua etiam pertinet ad humanam naturam propter ordinem ad resurrectionem, et quidquid pertinet ad naturam humanam non fuit dimissum a Verbo, ideo corpus illud mansit assumptum non sub forma animæ, nec separatam ab omni forma, sed sub forma cadaveris, quæ ad tempus assumpta fuit, in quantum requirebatur ad constitutionem corporis humani mortui, quod adhuc ordinabatur ad humanam naturam, ratione resurrectionis.

Ad secundam probationem respondetur, quod suppositum non resultat ut passio, sed ut terminus naturæ omnino prerequisites ad ejus existentiam, unde sicut existentia

non resultat, sed attingitur ab actione, ita et subsistentia, quæ ipsam antecedit, et licet existentia antecederet, adhuc ab ipsa actione attingeretur intrinsece, quia ante subsistentiam existentia ipsa non est terminata, et completa, et sic neque actio constituens rem productam in ratione status totius, ipsum autem totum attingitur ab actione. Quæ vero resultant, sunt accidentia, quæ nec pertinent ad ipsum totum, ut partes, neque ut modi seu termini totales sicut subsistentia.

Ad tertiam instantiam dicitur, quod D. Thomas attribuit rationem termini naturæ, et rationem subjecti hypostasi, seu supposito, quia sustentat, et subiecitur naturæ, et sic nomine termini absolute dicti intelligit terminum formalem tanquam specificatum, in quod tenditur, nomine vero subjecti intelligit terminum totalem, eo quod suppositum non est subjectum ex quo fit generatio (id enim est materia prima) sed quod nascitur per generationem.

Ad secundam partem argumenti respondetur, quod Divinitas non est terminus productus, seu procedens, sed communicatus, et sic est terminus formalis generationis Verbi, est enim id, in quo assimilatur suo principio, et generatio illa, in quantum assimilativa est communicativa naturæ Patris, atque adeo natura, ut natura, est ejus terminus formalis communicatus, non productus; in processione vero Spiritus Sancti natura ut natura non est terminus formalis etiam communicatus, sed identicus, amor vero infinitus est terminus formalis, terminus autem productus est persona subsistens, quæ etiam amor notionalis dicitur.

Secundo arguitur: Ad probandum unionem non formam esse terminum formalem, quia semper est

id, quod producitur de novo, forma autem non semper, ut in generatione hominum, terminus autem formalis debet produci de novo, quia quod non producitur non terminat actionem, quia non accipit esse, actio autem nova debet dare novum esse, imo quando educitur forma non producitur, nisi ut educta, et consequenter ut unita subjecto, et per hoc distinguitur a productione creativa: ergo formalis ratio specifica generationis est terminus ut unitus, siquidem per hoc formaliter, et ultimate distinguatur a creatione. Denique, ex sola variatione unionis videmus variari species actionis, ut cum anima rationalis unitur per generationem, vel reunitur per resurrectionem, non est variatio penes formam, sed penes diversæ formæ unionem: ergo diversa unio erit ratio diversa specificans, et terminus formalis, iste enim est qui specificat.

Ad primam partem argumenti respondetur, quod non est necesse formalem terminum produci de novo in sua entitate, sufficit quod in sui participatione, qua mediante specificat, proprium enim termini formalis est specificare, et formalizare id quod producitur, ad hoc autem non conducit per se, quod entitas formæ specificantis de novo fiat, sed sufficit, quod ipsa de novo communicetur specificato, et ita communicatio seu unio de novo fiat, non tamen illa unio est terminus formalis, id est, formalizans, et specificans, sed applicans, et uniens, unde aliud est ratio formalis termini, aliud ratio noviter producti in re quæ generatur; producitur enim de novo terminus totalis cui convenit esse, et produci ut *quod*, forma autem cui convenit esse ut *quo*, non est necesse, quod producat, sed sufficit, quod communicetur, et sic specificet, et formalizet; ipsa autem unio

non est terminus formalis, id est, forma dans specificationem, sed applicatio termini formalis. Quæ doctrina ex D. Thoma quæst. in de Potent. art. ix ad 6, ad 20 et 21 et notatur a Cajetano 1 part. quæst. cxviii, art. 1.

Ad secundam partem argumenti respondetur, non distingui specificative generationem a creatione, quia forma producitur ut unita, quando educitur, nam etiam in creatione cum producat ipsam totum producantur partes ut unitæ, sed quia ad creationem pertinet producere totum nihil præsupponendo de partibus, sed omnes faciendo de novo, et ex nihilo tam materiam, quam formam, ideo distinguitur ab educatione quæ producit totum præsupponendo unam partem, scilicet materiam, ex cujus transmutatione educitur forma; quæ applicata materiæ totum constituit, et sic per educationem totum non tam fit, quam componitur, in creationem vero absolute fit. Unde non ratione unionis formaliter distinguuntur, sed ratione termini formalis, qui in creatione est totum ens ex nihilo, in generatione forma constituens tale ens ex præsupposito subjecto, et sic etiam in creatione materia pertinet ad formalem ejus terminum, quia pertinet ad rationem totius entis.

Ad ultimam partem argumenti respondetur negando, quod diversa unio præcise sit diversus terminus formalis in actione substantiali, qualis est resurrectio, et generatio; utriusque enim producitur unio, et sic non potest ex ipsa solum sumi diversitas formalis istarum actionum, sed ex ipsa forma sumitur, ut stat sub diversa ratione, et modo communicandi se materiæ, diversam enim transmutationem exigit generatio omnis, ut communicans animam corpori, quam resurrectio,

quæ sine tali formatione, et dispositionibus, sed præsupponendo priorem unionem fuisse corruptam, unit animam corpori, et sic respicit formam, ut reuniam, non ut præcise unitam; similiter etiam formatio hominis ex terra, sicut in Adam, fuit actio distincta a generatione, non propter diversam unionem, tanquam terminum formalem, cum utrobique fuerit producta unio, sed propter ipsammet formam sub diverso modo transmutationis communicatam, et sic fundantem diversam formalitatem seu respectum terminandi actionem, quatenus diversas mutationes producit in materia, ut generet, vel ut resuscitet, vel ut formet ex terra; formalis autem terminus sumitur ex forma cum respectu ad viam, et ad transmutationes, quibus fit; istæ enim etiam per actionem producantur, ut ducentes ad terminum. An vero in actione accidentali, v. g. in intentione, sola unio producat de novo, an vero formalis aliqua perfectio quæ addatur qualitati infra q. v inquiretur.

ARTICULUS V.

Quod sit subjectum generationis, et de ejus distinctione a creatione?

Triplex subjectum, seu triplex ratio subjecti distingui potest in generatione. Est enim subjectum mutationis, quod magis obiectum dici potest, quia est id ad quem tendit generatio: est denique subjectum denominationis, scilicet res quæ denominatur generata. In generatione ergo mutatur materia de privatione ad formam, sed non denominatur producta, neque generata. Dicitur autem producta forma quæ educitur, vel compositum quod de novo accipit esse. Denominatur autem generatum ipsum sup-

positum, quod tanquam genitum respicit ipsum generans. Inter hæc subjecta, inquirimus quodnam ex illis sit subjectum inhæisionis cui inhæerat generatio. Est autem difficultas ex differentia inter alterationem et generationem, quia alteratio tam ex parte sui, quam ex parte sui termini, qui est qualitas, supponit pro subjecto substantiam completam, et in actu, quæ est capax accidentium, actio autem generativa non supponit, nisi materiam primam, quæ non est capax accidentis antequam habeat formam substantialem, hæc autem producit per ipsam generationem, ergo non supponit illi tanquam subjectum. Ex alia vero parte materia prima est subjectum mutationis, quia ipsa sola et non totum compositum est, quæ transmutatur de una forma ad aliam, et in ipsa recipitur forma substantialis, eique immediate unitur, ergo in ipsa debet esse generatio, quia actio in eo subjecto est, in quo terminus ejus, non enim seorsum a termino recipitur actio, vel mutatio. Et ad idem faciunt auctoritates D. Thomæ et Philosophi postea adducendæ.

Dico ergo primo: Subjectum mutationis in generationi substantiali est sola materia prima, inhæisionis autem non est sola materia prima, neque materia prima ut subjecta formæ corporeitatis, sed totum compositum, quod generatur per illam. De prima parte conclusionis non potest esse dubium, et in eo sensu loquitur S. Thomas cum pro subjecto generationis assignat materiam primam, et non substantiam in actu, expresse enim loquitur de generatione prout mutatio, et de subjecto mutationis, ut patet 1 de Gener. lect. x, in fine, ubi inquit: « Comparat predictas transmutationes, secundum subjectum, quod est tantum potentia, et dicit quod

prima materia est maxime proprium subjectum susceptibile generationis et corruptionis. » Eodem modo loquitur 1 p. q. XLV, a. 1 ad 2, loquens solum de mutatione, et apertius q. III de Potentia a. III ad 4, ubi inquit: « Quod in generatione, et est mutatio et relatio, qua refertur genitum ad generans. Ratione ergo mutationis non habet pro subjecto ipsum generatum, sed ejus materiam, sed ratione relationis habet subjectum ipsum generatum. In creatione autem est relatio, sed non mutatio, et ideo non est simile. » Dixerat autem in solutione ad tertium immediate antea, quod relatio illa creationis ut est accidens inhæret subjecto et est posterior illo, quod generaliter de omni accidente probabitur infra q. IX, scilicet subjectum inhæisionis ut quod esse compositum.

Ratio autem hujus primæ partis est, quia illud est subjectum mutationis, seu motus, quod est subjectum termini motus, seu terminorum, inter quos motus versatur, constat autem quod termini, inter quos versatur generatio, ut mutatio est, sunt forma, et privatio, utrumque autem habet pro subjecto materiam primam, nam ipsa est privata forma substantiali, et ipsa etiam immediate informatur substantiali forma, ergo ipsa est subjectum hujus mutationis, quæ est generatio; unde in 1 Physic. assignatur triplex principium, scilicet materia, forma, et privatio pro ipsa re naturali in fieri, seu pro generatione, materia autem non est principium generationis, nisi ut subjectum talis mutationis, quia subjectum mutationis debet esse principium rei mobilis, non solum in facto esse, sed etiam in fieri; et in ipsa generatione, cum in hoc distinguatur a creatione, quod procedit ex transmutatione alicujus subjecti, ergo oportet quod materia sit principium generationis

tanquam subjectum, non vero ipsum compositum, quia hoc est principium et non principium.

Secunda pars conclusionis, scilicet quod materia prima, ut subest formæ corporeitatis, non est subjectum inhæisionis ipsius generationis, constat manifeste supponendo id quod in libris de Anima latius expendetur, quod in quocunque composito substantiali tantum est unica forma substantialis, quæ dat omnes gradus específicos, et genericos, non autem una forma dat gradum corporeitatis, alia viventis, alia sensibilis, ut optime prosequitur D. Thomas 1 de Gen. lect. x, in fine, et nos in q. 1 de Anima probabimus. Quo supposito recte sequitur, quod subjectum generationis non sit materia prima, ut subest formæ corporeitatis. Quia nulla forma substantialis ista concomitatur materiam, quod nunquam exuatur illa, sed hoc ipso quod corrumpitur una forma substantialis omnes gradus corrumpuntur, quia omnes illi sunt eadem et unica entitas formæ, ergo corrupta forma, materia non manet sub aliqua forma, vel gradu corporeitatis ad recipiendam formam et de novo genitam, sed sola et nuda materia recipit illam, et forma præbet materiæ omnem gradum non solum primum et remotum, sicut est gradus corporeitatis, sed etiam ultimum et specificum, et sic tollit omnem gradum, quem forma corrupta præbebat.

Certa tertiam partem conclusionis, scilicet quod subjectum inhæisionis sit ipsum totum compositum sumendo generationem, non pro ipsa alteratione præcedente, quam constat recipi in composito antecedente, quod corrumpitur: sed sumendo generationem pro actione illa substantiali distincta ab alteratione ut modo supponimus distinguere ex dictis supra articulo tertio.

De hoc major est difficultas etiam inter Thomistas, plures enim existimant subjectum inhæisionis ejus esse ipsam materiam primam, ut videtur sentire Cajetanus III p. q. XXXV, art. 1, et alii quos citat, et sequitur Cursus Carmelitanus hic disput. II, quæst. v. Alii vero cum Magistro Bannez 1 de Generatione, c. IV, quæst. XI, dicunt totum compositum esse subjectum inhæisionis respectu ipsius generationis.

Dicimus ergo, quod suppositis duobus principiis, altero a nobis supra admissis, et probato quod generatio est actio distincta ab alteratione, nec est pura et nuda resultans, altero infra probando et admittendo, scilicet quod materia prima immediate et per se non est capax inhærentiæ accidentis, ita ut per materiam sustentetur in esse ipsum accidens, necesse est dicere, quod generatio in quantum est actio de prædicamento actionis non potest habere pro subjecto inhæisionis solam materiam primam. Unde Cursus Carmelitanus ubi supra, numero LXI, faletur generationem substantialem sumptam pro instantanea mutatione seorsum ab alteratione non esse accidens, sed aliquid substantiale tanquam modus. Rubio autem et alii admittunt, quod aliquid accidens si sit incompletum, et quasi vitale possit esse in materia, et non in toto. Cæterum nostra sententia, quam infra ostendemus, affirmat nullum accidens posse per inhærentiam subjectari in materia tanquam in subjecto quod, sed debet esse in toto composito, hoc autem vel est ipsum generans, vel id quod corrumpitur, vel id quod de novo generatur. Et quidem generans non est subjectum generationis, cum non fit actio immanens, nisi forte dicatur subjectum actionis transeuntis esse ipsum agens, sed tunc restat inquirere subjectum

generationis, ut passio est, nam in omni sententia passio non est in agente, et sic restat explicandum an materia sit subjectum istius generationis sic acceptæ passive, vel potius ipsum compositum. Et deinde restat difficultas in opinione, quod actio sit subjective in passo, et non in agente, quomodo generatio inhæreat in agente, siquidem generatio est in passo in hac sententia. Oportet ergo assignare aliud subjectum. Hoc autem non potest esse res quæ corrumpitur, quia in instanti in quo est verum dicere nunc est generatio, est verum dicere nunc non est res corrupta, quia desinit, per primum non esse, ergo non potest illa generatio, quæ tunc primo existit, inhærare in ipsa substantia corrupta, ergo non solum restat, quod inhæreat in substantia genita.

Quomodo autem terminus generationis possit esse subjectum, in quo inhæreat explicatur ex eo, quod subjectum mutatum per ipsam generationem est materia prima, quæ est pars componens ipsum terminum, qui est totum. Quare cum actio non inhæreat nisi mediante termino producto, seu ab actione affecto, cum eo enim identificatur actio, et ipse terminus totalis componatur ex materia et forma, seu habeat materiam partem sui in idem coincidit subjectum et terminus, quia terminus substantia est, et sic non habet aliud subjectum, cui inhæreat actio nisi in eo, qui est terminus totalis cum quo ipsa identificatur. Cæterum subjectum accidentium semper debet distinguere ab ipso termino, quando producitur accidens, eo quod per talem actionem non producitur subjectum actuale, sed supponitur; per generationem autem substantialem subjectum actuale producitur quod est compositum. Et licet supponatur

materia prima, quæ est principium recipiendi etiam ipsa accidentia, tamen nec est principium quod recipiens ea, sed principium quo, id est, ratio qua ipsum compositum, tanquam subjectum quod habere recipere accidentia, nec etiam est principium sustentandi in esse ipsa accidentia, quia principium sustentans in esse, supponitur habere existentiam, quam præbeat accidentibus; materia autem prima non habet illam nisi per formam, ut in q. III Phys. ostendimus, et supra art. I, habet tamen materia esse subjectum respectu formæ substantialis, quia forma non sustentatur in materia præsupponendo esse, sed recipitur ut ex ipsa et materia constituatur compositum, quod est habens esse; et sic distinguit D. Thomas intersubjectum et materiam opus. XXXI, in principio. Cum ergo generatio, in quantum actio, sit accidens, oportet quod pro subjecto inhærensionis, et suæ stentationis habeat compositum, et non solum materiam primam, licet illa sit principium quo recipiendi, et subjectum etiam mutationis, ut dictum est.

DICO SECONDO: Generatio et creatio tam completa et adæquata, quæ simpliciter dicitur creatio, quam inadæquata et incompleta, quæ dicitur concretio, qualis est productio materiæ primæ, aut productio formæ dependentis a materia quando fit per creationem, differunt, tum ex parte termini formalis, tum ex parte modi producendi, licet in termino totali materialiter sumpto tam generatio, quam creatio completa conveniant. Hæc conclusio sumitur ex doctrina S. Thomæ I part. quæst. XLV, artic. II et III et IV, et quæst. III de Potentia, artic. I et II.

Pro cuius explicatione duo advertere. Primum, quod licet creatio sit

unica, et indivisibilis actio attingens ipsum totum, et producens partes, tamen non æque denominantur omnia creari, sed ipsi toti convenit creari tanquam rei subsistenti, et habenti esse ut quod, partibus vero convenit creari, tanquam principis constituentibus illud totum, et habentibus esse non ut quod sed ut quo. Hinc nascitur illa distinctio creationis, quod alia est adæquata et incompleta, prima enim dicitur respectu totius, quod attingitur a creatione, ut absolute, et subsistenter habentis esse. Secunda vero respectu partium quæ attinguntur, ut habentes esse in alio et cum alio a quo dependent et cui subsunt ut sint, et ideo dicuntur creari. Quæ doctrina est D. Thomæ qui pluribus locis docet solum creari proprie res subsistentes seu ipsum totum et compositum, materiam vero et formam non proprie creari, aut fieri, sed concreari, ut patet I p. q. XLV, art. IV et q. XLV, art. II et q. VII, art. II ad 3, et quæst. III de Potentia, art. I ad I.

Secundum quod supponimus est, quod tam creatio quam generatio substantialis conveniunt in hoc, quod est producere totum compositum, seu facere rem subsistentem, et completum cui per se convenit esse, sed differunt quod generatio supponit ea, ex quibus constare debet hoc totum, vel omnia, vel saltem materiam primam, generatio enim hominis neque materiam facit, neque formam, sed utraque conjungit, alia vero generationes saltem supponunt materiam primam, licet formam educant, et producant. At vero creatio ita producit totum compositum, quod nihil supponit eorum, ex quibus coalescit, sive partes, sive totum, sed quidquid entitatis est in re facit, et ita creatio est talis virtutis, quod ex vi suæ rationis formalis habet attingere in re

creata omnem rationem entis, sive sit materia, sive forma, sive potentia, sive actus. Quare generatio necessario supponere debet creationem, nec potuerunt res primo incipere per motum; in quo hallucinati sunt aliqui antiqui Philosophi, et Aristoteles ipse, qui existimantes non dari alium modum producendi res, quam per motum et generationem, inciderunt in illud inconveniens de æternitate mundi, non invenientes initium, quo res primum fuerunt productæ, si omnes per motum productæ sunt, nam hoc modo semper supponebatur aliquid, ex quo mutatio, seu motus fieret, si enim produceretur aliquid non supponendo aliud ex quo fieret, sive mutatione produceretur, quia ex nihilo et non ex subjecto fieret. Ut ergo non ponamus infinitum processum, et æternitatem generationum in motibus, oportet devenire ad productionem materiæ non ex alio subjecto, sed ex nihilo, et consequenter per creationem. Et quia materia non sit sola, et sine forma, sed sub illa et dependens ab illa, sicut de facto fuit cum in principio creavit Deus cælum et terram, ideo creatio semper est subsistentium, et compositorum, partis autem est concretio.

Ex quibus conclusio posita constare potest, et declarari differentia inter creationem et generationem, tam ex parte termini formalis, quam ex parte modi procedendi. Ex parte quidem termini formalis, quia generatio solum habet pro termino formali totam rationem entis, quæ reperitur in composito sive ex parte formæ, sive ex parte materiæ, et sic coincidit ibi terminus adæquatus et formalis. Unde S. Thomas I p. q. XLV, art. IV ad I, explicans illud axioma ex li

bro de causis prima rerum creatarum est esse, dicit quod *ly esse* non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem objecti creationis, nam ex eo dicitur aliquid creatum, quia est ens non ex eo, quod est hoc ens, cum creatio sit emanatio totius esse abente universalis. Igitur formalis ratio, seu terminus creationis non est forma, quæ informat et speciem dat naturæ, sed tota ratio entis, quæ invenitur in tali re, et sic ex parte termini formalis valde differunt generatio, et creatio, cum id quod est totale in generatione sit formale in creatione.

Ex parte autem diversi modi procedendi differunt generatio et creatio, tum ex parte termini *ad quem*, tum ex parte termini *a quo*; ex parte quidem termini *ad quem*, quia creatio facit ipsum totum simpliciter producendum omnia quæ in eo sunt, generatio autem facit totum uniendo partes, non producendo, vel saltem non omnes, quia materiam presupponit. Ex parte termini *a quo*, quia creatio est ex pura negatione, seu ex nihilo, quia nullum subjectum supponit, generatio vero ex privatione, quia supponit subjectum carens forma.

An creatio sit ejusdem rationis in simplicibus, et in compositis?

Ex quibus deducitur, creationem ejusdem rationis esse, sive cum producit entitatem simplicem, ut Angelum, sive cum producit compositam ut cælum, vel terram. Cujus oppositum sentit P. Vazquez in tom. I p. disp. CLXIV, c. IV, n. XVII, et alii qui eum sequuntur, qui dicit primo creationem non solum esse subsistentiam simpliciter, et totaliter, sed sufficit quod sit productio alicujus quod suapte natura subsistere po-

test, et non esse alteri, seu dependere sicut anima rationalis. Secundo, addit quod in qualibet re composita sunt singulæ productiones singularium partium, et altera totius, quia ex compositione constat, tale autem compositum secundum eam rationem, qua a partibus distinguitur creari non potest ejus esse, quia est ex aliquo nempe ex partibus, quæ prioritate naturæ præcedunt, ergo non est ex nihilo, sicut requiritur ad creationem, quod enim nihil præcedat tempore, nequaquam requiritur, ut patet si res ab æterno crearentur, vera enim creatione fierent, et tamen non præcessisset tempore nihil. Addit tertio materiam creari vera, et propria creatione, quia de nihilo fit, et licet dependeat a forma, non tamen secundum entitatem suam, alias mutata forma mutaretur in esse, et entitate; imo quodcumque agens introducens formam in materiam faceret illam existere, quia producens formam non solum facit illam esse, sed etiam quod per illam habeat esse, idem enim est producere formam, et effectum formalem illius. Et deinde si Deus conservat materiam media forma tanquam principio, et materia est ex illa, non creabitur a Deo, quoties producit ut conjuncta formæ, et ita nullum compositum fieret per creationem præter hominem, quia omne aliud secundum formam non educitur e materia, secundum rationem compositi est ex partibus, non ex nihilo, secundum materiam est ex forma, si quidem fit dependens ab illa. Denique, creationem materiæ assimilat creationi animæ rationalis, quia illa naturaliter fit cum conjunctione ad formam, hæc naturaliter cum infusione ad materiam, licet de potentia absoluta unumquodque seorsum fieri possit.

NIHILOMINUS DICENDUM EST : In

creatione qua creantur res compositæ, non importari plures actiones quibus partialiter creantur singulæ partes, et aliam quæ ex partibus producat totum, sed unica actione produci totum et partes, et sic ejusdem rationis esse creationem rei simplicis totalis, et rei compositæ, quia in utrisque intenditur ens in quantum ens, materialiter vero se habet, quod componatur ex partibus, vel non. Unde S. Thomas perpetuo excludit a proprietate creationis materiam et formam et partes, quas solum dicit concreari, ipsum vero totum subsistens proprie creari, ut videri potest in q. III de Pot. art. I ad 12, et I p. q. VII, art. II ad 3, ubi expresse affirmat materiam, et formam proprie non fieri, neque creari, sed concreari; specialiter autem loquens de materia, quam Vazquez dicit creari, compositum vero non e diametro opponitur illi D. Thomæ qui I p. q. XLIV, art. II, ponens illud argumentum quod materia non creatur, quia non habet esse actu, per creationem autem solum fit ens actu, respondet: « Quod probat argumentum materiam non creari solum sed sub forma, eo quod etiam id, quod tenet se ex parte potentie in creatura a Deo est. » Cursus vero q. XLV, art. IV, ponens oppositum argumentum, scilicet quod illud proprie producit per primam emanationem, quod supponitur in secunda, sed quod supponitur in generatione est materia, ergo materia proprie creatur, et non compositum, quod certe est fundamentum Vazquez, respondet S. Thomas eadem solutione, qua argumento antea posito: « Scilicet rationem illam non probare, quod sola materia creatur, sed quod materia non sit nisi ex creatione, nam creatio est productio totius esse, et non solum materiæ. » Sentit ergo S. Thomas quod illud esse totius, ut distingui-

tur a ratione materiæ partialiter sumptæ terminat creationem, et sic falsum est dicere, quod compositum creari non potest, sed solum pars illa, qua non est ex alio, sicut est materia.

Fundamentum autem hujus, ex quo etiam aperitur deceptio oppositæ sententiæ, in eo est, quia ad creationem concurrunt duo, alterum ex parte modi producendi, scilicet quod non fiat ex alio præsupposito, sed ex nihilo; alterum ex parte termini producti, scilicet quod producatur tota ratio entis, seu totum et integrum esse alicujus rei; unde necessario exigit, quod non fiat esse rei ex transmutatione partis, et conjunctione earum in unum, id enim proprie pertinet ad generationem, non tamen excludit creatio, quod faciat aliquid ex suis partibus, ita quod præbeat ipsi toti omnia ejus constitutiva, et partes licet non præsupponat aliquam ut ex transmutatione illius perveniat ad ipsum totum. Et in hoc valde æquivocat, et claudicat fundamentum Vazquez, dum confundit fieri ex aliquo, ut ex parte constituyente tantum, vel fieri ex aliquo, ut ex principio transmutationis, quod est principium ipsius fieri. Quod enim fiat aliquid, ut constans ex aliquo tanquam ex parte vel prædicato constituyente se, non tollit quod fiat simpliciter ex nihilo, si alias nullum principium presupponit, per cuius transmutationem fiat, hoc enim est, quod solum opponitur ipsi creationi, ut est ex nihilo. Cujus ratio manifestata est, quia in creatione fieri ex nihilo tenet se ex parte termini a quo, in composito autem constare ex partibus, et esse ex illis tanquam ex constituentibus, tenet se solum ex parte termini ad quem, cum pertineant ad constitutum talis termini, ergo hoc, quod est esse ex aliquo tanquam ex parte constituyente, non opponitur huic, quod

est esse ex nihilo simpliciter tanquam ex termino a quo, ergo neque opponitur ipsi creationi, quia creatio salvatur in hoc præcise, quod sit ex nihilo tanquam ex termino a quo, et consequenter non quod præsupponat aliquid tanquam subjectum transmutatum; si autem subjectum ipsum fiat, ut est pars constitutiva totius, magis fit ipsum totum, quam pars, siquidem non ex præsuppositione partis, ut transmutandæ ad hoc ut fiat totum, sed sine tali transmutatione ipsum totum fit. Si autem non præsupponit partem, ut ex ejus transmutatione fiat totum, utique propter ipsum totum facit partem, et tanquam aliquid minus ipso toto facit eam, ergo principaliter respicit totum, et minus principaliter partem, ergo directe per creationem fit ipsum compositum, sed solum facit partem, ut constituentem totum, non vero pars, quæ est materia, sed ista concreatur tanquam minus principalis ad creationem totius, cui directe convenit esse tanquam rei subsistenti ut *quod*, et consequenter creari ut *quod*, quia creatio directe respicit esse. Itaque fieri ex aliquo ut ex parte constituyente et pertinente ad esse rei, non tollit creationem, neque constituit generationem, sed fieri ex aliquo tanquam ex principio præsupposito, per cujus transmutationem fiat ipsa res, hoc constituit generationem, quia generatio transmutatio est.

Dices: S. Thomam in II, dist. 1, q. 1, art. III inquit: « Quod esse est per creationem, et alia perfectiones superaddita per informationem et in-compositis præcipue illud esse primæ partis, scilicet materiæ, » ergo præsupponit S. Thomas creationem primo, et directe terminari ad materiam, et illi convenire esse. Respondetur quod illud esse primæ partis, scilicet materiæ est esse potentia, et dicitur præcipue esse per

creationem ex ea parte, qua non præsupponit aliquid subjectum ex quo fiat, non ex ea parte, qua habeat esse absolute, et simpliciter, hoc enim non habet nisi dependenter a forma, et hac ratione dicitur concreari, ut ex D. Thomæ locis constat, scilicet ratione esse per formam habiti, non absolute in se.

Ad instantias adductas a P. Vazquez respondetur ad id quod dicit compositum fieri ex aliquo, scilicet ex partibus, et sic non fieri ex nihilo jam respondimus non fieri ex aliquo ut principio transmutationis, sed ex aliquo, ut intrinsece constituyente, quod non tollit creationem, neque compositum fieri ex nihilo ut ex termino a quo cum pars constituens solum teneat se ex parte termini ad quem.

Ad instantias, quas affert ad probandum materiam creari primo et per se, respondetur materiam fieri ex nihilo non ut habens esse, sed ut pars in potentia ad formam rei habentis esse, non est autem inconveniens, quod materia mutetur in esse actuali, sicut mutatur in informatione transeundo de privatione ad actum et de una forma ad aliam, et consequenter de uno esse aliud, quod non est corrumpi, nisi per accidens, et quantum ad successionem in esse non quantum ad totalem definitionem, quia ipsa entitas materiæ est capax existendi per quancunque formam ex his, quas potest recipere, unde esse modo sub una forma modo sub alia, non est totaliter desinere, et amittere esse, sed transmutare illud relinquendo unum modum inadæquatam essendi, et acquirendo alium intra spheram formarum formarum, a quibus habet esse, sicut si humanitas mea modo assumeretur a Persona Divina acciperet aliud esse, et subsidere non tamen corrumpetur, quia ita existeret proprium esse, quod subroga-

tur aliud loco illius. Et uno verbo, amittere esse adæquate, et totaliter est corrumpi, amittere esse inadæquate, et cum subrogatione, et successione alterius, non est desinere, nec corrumpi. Nec similiter generans, quod inducit formam in materiam dicitur producere, aut generare materiam, licet faciat illam existere, non enim facit materiam quantum ad potentialem suam entitatem, quæ est propria entitas materiæ, neque ex aliquo subjecto educit, sicut requiritur ad generationem, sed educendo formam ex illa, transmutat ejus esse, et ita non facit illam absolute existere, eo quod entitas materiæ non est limitata ad esse unius formæ, sed est capax habendi esse sub quacunque forma et ideo transmutans formas in materia non dat materiæ esse absolute, sed transmutative de una forma ad aliam, sicut existens in illo quantumcunque mutantur superficies, dicitur manere in eodem loco, quia habet eundem effectum existendi in loco, provenientem a diversis superficiebus successive, quarum una subrogatur alteri in locando; et animal dicitur habere idem corpus, licet diversæ partes succedant, quia sub eadem forma, et dispositione, et ordine succedunt. Sic licet materiæ succedant diversa esse inadæquate ex diversis formis, quia tamen succedunt in ordine ad conservandum eandem entitatem potentialem materiæ, quæ est capax omnium formarum, ideo permanet eadem entitas materiæ sub diversa successione existentia, et esse formarum, et ideo generans tales formas, licet communicet materiæ effectum formalem, et esse formæ non tamen dicitur materiam corrumpere aut generare, quia non primo, et adæquate dat esse, sed conservat entitatem ejus in successione diversi esse: sicut e contra qui diversas

partes materiæ successive aggenerat animali, licet diversum corpus materialiter tribuat, non tamen dicitur generare illud, sed sub eodem corpore conservare. Nec tamen, quia materia fit a Deo sub forma, dicitur fieri ex illa, ut ex subjecto, sed dependenter ab illa ut ab actu. Quare nullo modo potest creatio materiæ assimilari creationi animæ rationalis, quia anima fit ut habens in se esse, et subsistens independenter a materia licet communicabiliter materiæ et quia communicabiliter non suppositaliter, materia autem non fit, ut habens esse independenter a forma, sed ut recipiens a forma.

Ad rationem dubitandi, a principio ad probandum, quod subjectum generationis, quantum ad inhæSIONem non sit res generata, respondetur ex dictis, quod subjectum mutationis non est subjectum inhæSIONis sub eadem formalitate, et ratione; est enim subjectum mutationis, quatenus est in potentia ad aliquam formam, est vero inhæSIONis non solum ut recipit, sed ut est in actu dans esse, et sustentans in esse formam inhærentem. Unde cum ratione materiæ substantia sit in potentia ad formas substantiales, ratione totius habeat existentiam, ita quod ipsa materia secundum se eam non habet sed prout in toto, inde fit quod ratione sui sit subjectum mutationis, non vero sit subjectum inhæSIONis nisi mediante toto, in quo solum habetur existentia et ratio sustentandi in esse, ut dicemus infra quæstione nona, hoc autem non est res quæ corrumpitur, quia desinit esse, ergo res quæ generatur.

Sed instabis: Nam subjectum formæ educæ, vel unitæ non soluma quoad mutationem, sed etiam quoad informationem est materia, et non compositum, ergo et subjectum educationis, seu generationis. Antecedens